



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 9. Puellæ duæ ab Mamalucorum servitute se redimunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

fragor, prælantium tumultus, & inconditi clamores, quales solent esse, quando post varium certamen confunduntur acies, & se se mutuo proterunt. Ex Brasilia certò nunciatum est Mamalucos in fuga & pugna desideratos centum & viginti, Tupicos ferè omnes. Sic ostendit Xaverius (nam huic Divo victoria post Deum debetur) non tantum se Solem in Oriente oriri, sed & in Occidente feliciter occumbere. Cordubæ pro victoria gratia Deo Optimo Maximo actæ sunt, publico apparatu.

*Numerus
occisorum.*

CAPUT

I X.
Puella dux
ab Mama-
lucorum
servitate se
redimunt.

*Puella gen-
erosa fuga.*

Baptismus.

*Puella pius
dolus.*

*Felix cum
parentibus
occidit.*

DUMISSIS copiis, cognito multos Ethnicos Neophyrosque, Mamalucorum metu hinc inde dispalatos, non difficulter ad oppidum se reduci passuros, si invitarebatur; nesciatumque esset plures ex illis Barbaris, quos ante prælium Mamaluci captivaverant, ab injustis Dominis nostris coloniarum desiderio passim fugere; Mbororeenses Neophyri, quæ terræ, quæ fluvio, manipulatim progressi, magnam hominum prædam variis per biennium integrum institutis excursionibus feceré. Quibus in excursionibus multa contigèta memoratu digna: selectiora narrabo. Aliquatulam captivorum hinc inde contractorum tutbam Mamalucorum manipulus in Brasiliam dum abigeret, una captivarum decimum-quartum etatis annum nondum egressa, injectâ cœlitùs flammat, studio Christianæ professionis, naëta patrandi facinoris opportunitatem, navigiolum, quod in litore unicum erat, concidit, solitoque anchorario fune in medium alvei, dissimilans, quasi ludibunda, deduxit; quod dum pervenit, patentem fugam adorsa est. Id ut conspexere Mamaluci, aliquamdiu stetere, inopinata audaciâ attoniti: deinde admiratione in rabiem versâ, tela simul omnes in perfugam collincent, à frônte, à tergo, à latere impetebatur. Sed audax puella, per volantes Tupicorum sagittas, & plumbeam Mamalucorum grandinem, palmulis aquas, deficiente remo, flagellabat; alterum litus tenere, & adeptum abradere, semper conata. Fremebant interim prædatores, & se à puella luci, irritaque missilia volare indignabantur, nescii eam cœlesti clypeo protegi; neque enim aliunde crediderim conservatam tam imbellem fortitudinem. Cum cernerent incassum esse vires, inauditam confidentiam & inter tot tela securitatem admirari cœperunt. Illa vero animo reputans quid evenisset tot Mamalucorum captivis, & quid sibi sub tali dominio expectandum, nam infra infame jugum & meretricium dedecus, nihil accidere posse noverat, fugath accelerabat, non magis tela, quam dolosas laudes contemnens. E Mamalucorum oculis à profluente tandem abrepta, quietius navigavit: donec post aliquot leucas, ingenti Dei beneficio, in excusores Mbororeenses incurrit; à quibus benignè excepta, & ad oppidum deportata, post Catechesim interjecto tempore sacris undis ab ipso Francisco Lupercio Provinciali, oppida Neophytorum inspiciente, abluta, Barbaræ nomine fortita est. Nuptui paulo post data, spem fecit conjugium præclarâ ornandi virtute. Altera puella infidelis, undeviginti annos nata, in captivitate ad libidinem sollicitata, fortiter repugnavit, aïens, nolle se pudorem suum prosternere, quod didicisset copulam non conjugalem illicitam esse. Cumque nihil proficeret, piâ fallaciâ prædatorum manus sic effugit: cernens enim Mamalucos fame tantum non perire, iis promisit, si se tantisper liberam dimitterent, quæsitorum in sylvis radices pellendæ fami opportunissimas. Annuentibus Mamalucis, dolum in simplici barbaraque puella non verentibus, ad nemora intacta processit, ubi iis se latebris abdidit, unde nullâ deinde indagatione eruì potuit: tandemque per viarum anfractus, & mille pericula, ad Mbororeum appulit, quo in oppido, rara prorsus felicitate, patrem suum matremque Fidem Christianam jam professos, inopinato concusfu, pænè abs se abalienatos reperit; quorum postmodum consilio veræ Religionis candidata baptismalem gratiam ambivit, & omnibus incolis aggratulantibus, obtinuit. Quatuor-decennis puella, triennis sororculæ constans bajula, post varia viarum discrimina è captivitate fugiens excursionibus nostris occurrit, quæ uitramque Baptismo initiandam ad Mbororeum deduxere.